

LECTORI BENEVOLO

S.



MOC Ævum, quod confecimus prope, non deterfit modo literarum artiumque squa-
lorem, sed easin summum præterea apicem sat pulchre evexit. Certe, huic Seculo iste præcipuus labor
fuit, ut in cultura bonarum artium ea spatia conficeret, quæ si legisset superior ætas, parum felici pres-
sisset vestigio. Trahunt nos equidem, si non rapiunt, in sui admirationem, tot clarissimorum Mathe-
maticorum inventa, quorum dum hinc ingenium, inde industriam recte expendimus, stupemus artifices,
in sua arte tantopere Roscios. Quid enim solertius *Cornelii Drebbelii* machina, in cujus vitreo arcuatoque
tubulo inclusa aqua, bis in dies singulos tendit reditque, ac parum abest, quin maris insequi æstum videatur? Quid inge-
niosius *Ejusdem* Sphæra, quæ sine ullo artificiali agente, solo ætheris raptu perpetuo mobilis, annos, menses, dies, horas,
omniumque planetarum & stellarum cursum ostendit? Meretur huc referri *Kircheri* Sphæra vitrea magnetica, quæ in cen-
tro alicujus liquoris librata, perpetuo circumit, & horas, circulos cœlestes, totiusque Astrolabii mysteria commonstrat. *Ejus-
dem* Lacertula chartacea, per columnæ superficiem extimam sursum & deorsum repens, horasque diei indicans. *Ferdinandi
Gonzagæ* Echo mirifica, in Villa Simonetta, uno circiter milliari Mediolano distante, exstructa. *Otonis de Gruericke*, & *Ro-
berti Boylei* Tubi ac Recipientes vitrei, spatium vacuum artificiale probantes. *Johannis Hautsch*, Fabri circinarium Noribergen-
sis machina, in 72. distinctis loculamentis, totidem exhibens artifices, ad unius solum rotæ gyrationem, artes suas, viven-
tium instar, dextre instituentes. Et quid dicendum nobis fuerit de variarum imaginum, in quibuscunque planis, deformi
ac monstrosa, attamen & artificiosa delineatione, quæ non nisi e certo puncto inspectæ formosæ apparent, ac prototypo
similes? Quid de omnis generis vinorum, aquarum diversis coloribus & odoribus imbutarum, oleorum item ac ignium vo-
mitu artificioso? de plantarum simulacris arte resuscitatis? de Solis, Lunæ, & reliquorum corporum cœlestium, armato
oculo accurata contemplatione? denique, de sexcentis aliis, quorum numerum si quis inire contenderet, non unius clepsy-
dræ, sed multarum horarum spatio defungeretur. Eximia isthæc sunt, & in singulis artificibus sigillatim laudanda: nisi
ipsa literarum pulchritudo nobilissima ingenia usque adeo pellexisset, quoad in eruditis Societates ea fini conspirarent, ut
omnis res literaria suo donaretur nitori. Effert sese Italia Academiis Ordinatorum, Lynceorum, Ætheriorum, Humorista-
rum &c. Hispania, in regno Neapolitano, Errantium, Ardentium, Serenorum, Sitibundorum: Gallia, & Marte & arte
illustris, Sorbonistarum. Quantum decus sibi, ex eruditis hisce Collegiis, impetraverit Anglia, loquitur inprimis Londinen-
sis Societas, Magni *Verulamii* auspiciis provocata. Sed nec Danos aut Belgas sua defraudamus laude, quorum utriusque per
Bartholinos, *Wormios*, *Borrichios*, *Helmontios*, *Sylvios*, & quos non? inclaruerunt quam maxime. Vicinæ Germaniæ utique hic
debendus est honor, ejus ope rem literariam haut parum crevisse. Dux in hac Societates Eruditorum florent inprimis, quarum
altera *Fructiferorum*, altera *Curiosorum Naturæ* nomen meruit. Et prior quidem, quæ *Fructifera* audit, & Palmæ etiam no-
mine insignitur, non alio fine fuit instituta, quam ut lingvæ Germanicæ suum assereretur decus, palamque universo orbi li-
terario ostenderetur, eam verborum copia, dictionis nitore, sententiarum ac proverbiorum pondere, cultissimis Europæ
lingvis non Palmam tantum facere dubiam, sed præripere etiam haut facile posse. Annus institutæ hujus Societatis fuit septi-
mus ac decimus, dies XXIV. Augusti, seculi jam ad finem decurrentis. Ex quo tempore & *Fructiferorum* numerus pulchre succe-
vit, & multum fructuum ac gloriæ per Celsissima capita, per membra Illustrissima doctissimaque, tam ex scriptis Germanicis
elegantè confectis, quam ex libris peregrini idiomatis in vernaculam versis, in Teutonicam lingvam redundavit. Ipsi certe
Principes primi ordinis Germanici, præsidium *Collegii Fructiferi* suscipere honori duxerunt sibi, tres inprimis æterna memo-
ria dignissimi, LUDOVICUS Anhaltinus, WILHELMUS, Dux Saxonie Ernestino-Winariensis, & AUGUSTUS, Dux Saxonie ex li-
nea Albertina, idemque ultimus Archi-Episcopatus Magdeburgici Administrator. Nec Nobiles tantum fere octingenti, sed
& Celsissimæ profapiæ dignitatisque Procures, Barones nempe quadraginta quinque, sexaginta Comites, novemdecim Prin-
cipes, octo Comites Palatini, decem Landgravi, quatuor Marchiones, novem & quadraginta Duces, tres Electores, &
quod summum huic Societati decus superaddit, Rex unus. At posterior illa, quæ *Curiosorum Naturæ* dicitur, hunc sibi præ-
fixum scopum habet, ut abstrusa Naturæ hætenus minus eruta eruat, Orbique literario scriptis publicis, velut in Solis men-
sa exponat, demonstratque, eam non scientiæ tantum rerum naturalium augendæ, sed & conservandæ vindicandæque a mor-
bis valetudinis humanæ gratia, esse institutam. Nos, ut Rempublicam literariam, tot eruditis Societatibus hodie inclytam,
merito felicem censemus; ita gratulamur Gymnasio Nostro, quod talis ei RECTOR obrigerit, qui, cum *Fructiferæ* Socie-
tatis membrum sit, spem eximiam Nobis facit, fore, ut Ejus dexteritate fructus quoque uberrimi sint in istud redundaturi. Atque is
quidem est Vir *Præclarissimus atque Doctissimus*, Dn. M. GEORGIUS WENDIUS, in præcipuis Silesiæ Civitatibus Professor
hætenus, ac nuper admodum Laubanensis Lycei Rector & Inspector dignissimus. Equidem egregia Ejus in rem literariam me-
rita, id Nobis plane pollicentur, laudatum Virum, qui in Carpophorum Societate PLANTANTIS nomen cum laude indeptus est,
Gymnasium hocce, Seminarium nempe Reipublicæ atque Ecclesiæ, qua literarum qua morum venustate culturum, rectorumque,
tum & istud sapientissimi *Tullii* (faxit DEUS feliciter!) imitaturum subinde; *Scrimus arbores profuturas posteritati*. Qui cum Am-
plissimi Senatus decreto, ad diem XVI. Mensis hujus Junii, H. 9. mat. solenni ritu inaugurandus, sui que Muneris auspiciam pu-
blica Oratione sit facturus; IN SCHOLIS QUOQUE EVANGELICIS REPERIRI PROBATORIUM DOCTORUM VEROS CHARACTERES:
proinde Magnificos atque Nobilissimos Dn. Burggrabium Regium, Præsidentem, Præconsules, Consules, Experientissimos
Medicos, Venerandum Ministerium, Spectabilem Judiciorum Confessum, omnesque adeo ingenuarum artium Fautores
atque amicos, officiose ac benevole invitamus, ut, si per graviora negotia comparere licebit, hunc Introductionis actum sua
præsentia cohonestare non dedignentur. Studiosam vero Juventutem huic Actui solenni frequenter interfuturam, eo magis
Nobis persuasum habemus, quo plus se obstrictam noverit ad omnem reverentiam, suo Rectori cum obsequio deferendam.
P. P. THORUNII. Dominica II. post Trinit. A. O. R. M. DC. XCV.

SCHOLARCHÆ.

LECTORI BENEVOLO

Faint, illegible text at the top of the page, likely bleed-through from the reverse side.

18

0784

Main body of faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

SECTOR ARCHA

Szz

V

X